

**CALENDARIUM**  
PRO  
**CLERO DIOECESIS VILNENSIS**  
IN ANNUM DOMINI  
**1914**

a

*Sac. A. K. concinnatum.*



VILNAE.  
Typis et sumptibus typographiae A. Rutkowskii.  
1913.

Nihil obstat.  
10 septembris 1913 an. Vilnae.  
**L. Żebrowski.**  
Libr. censor

Nº 4193

A P P R O B A T U R.

Vilnae, die 24 septembris 1913 an.  
Dioecesis Vilnensis Administrator Apostolicus  
Protonotarius Apostolicus **C. Michalkiewicz.**

Secretarius Curiae **J. Steckiewicz.**

(L. S.)

# Quaedam notatu digna.

## I. Observanda in celebratione Missarum.

### 1. Orationes imperatae:

#### a). Hoc anno:

1) *Pro Papa* (Nº 4) et 2) *Pro quacunque tribulatione* (Nº 13). Loco orationis *pro quacunque tribulatione* sumitur oratio *Ad petendam pluviam* (Nº 16) vel *Ad postulandam serenitatem* (Nº 17), prout necessitas expos-tulat. — Orat. imper. sumuntur post omnes orationes de pracepto.

#### b). Orationes imperatae omittendae sunt.

1) In festis dupl. I et II cl., 2) In Dominicis I et II cl., 3) In fer. V in Coena Dni, Sabb. Sancto, vi-giliis Nativ. et Pentecostes. 4) Infra octavas privile-giatas scilicet: Nativit. Dni, Epiph., Pasch., Ascens., Pentec. et Corp. Christi. 5) In Mis. Votivis solemnibus et privileg. (excepta Miss. pro spons.) 6) Quando in *Directorio* indicantur plusquam tres orationes, 7) Quando in Missis privatis post tres orationes, eo die praescrip-tas, addita est oratio de SS-mo Sacramento publice ex-posito vel pro Papa, Episcopo in respectivis anniversa-riis electionis, seu consecrationis, aut coronationis (*Acta Ap. Sedis*, v. IV, pag. 447—9, 1912).

## 2. Commemoratio SS. Sacramenti.

a) fieri debet	b) fieri potest, sed non debet	c) omnino omitti debet
1. In omni Mis- sa solemni seu cantata sive cum sive sine ministris celebrata ad alta- re, in quo Ss-mum expositum est.	1. In Mis. so- lemni celebrata durante expositio- ne in alio altari expositionis.	1. In Mis. pri- vatis in festis dupl. I et II cl. tum Dom. Palm. et in Vigil. Nati- vit. D-ni et Pen- tec., etiamsi SS. Sacrm. exponatur pro dev. 40 hor. vel aliqua causa publica.
2. In Missa priv. celebr. sive ad altare expo- sitionis, sive ad alia altaria tem- pore expositionis SS-mi pro devo- tione 40 horarum.	2. In Mis. pri- vatis sive ad al- tare expositionis etiamsi in Pyxi- de, sive ad alia altaria celebratis ex aliqua causa publica non vero pro dev. 40 hor.	2. Si SS-um exponatur vel a- tum in Pyxide, sed non pro gra- vi causa et pro publico Ecclesiae bono vel ob cau- sam privatam v. g. ob infirmita- tem alicuius per- sonae priv., eti- amsi Mis. canta- tur aut legatur in altari exposi- tionis.
1. Haec commem. SS-mi semper facienda est post omnes commemorationes speciales et etiam com- munes, seu temporales, quae 2 et 3 loco dicendae praescribuntur; sed ante orationes imperatas et votivas,		

quas celebans ipse pro libitu in votivis et diebus simplicibus et ferialibus adiungit. Hic non intelligitur oratio ad libitum, quae, ut tertia, a rubricis praescribitur.

2. Semper fieri debet sub *distincta conclusione*, *exceptis dupl. 1 et 2 cl.*, in quibus fit, *sub una conclusione*, nisi alia commemoratio sub *distincta conclusione* sit facienda, cui orationi in casu adiungi debet. Item *sub una conclusione dicenda est in Mis. solemni in Dom. Palm., Vigil. Nativ. et Pent. atque in votiva solemni.*

3. In festis dupl. maior. vel minor., quamvis una tantum occurrit oratio, haec oratio concluditur, postea dicitur: *Oremus* et oratio de SS-mo tam in Mis. cantatis, quam in lectis.

4. Ob identitatem Mysterii omittenda est commemor. SS-mi Sacr. in festis: Passionis, S. Crucis, SS-mi Redemptoris, SS-mi Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis.

### **3. Missa in Dominica de festo commemorato.**

Si alicubi in Dominica minori (non autem I et II cl.) occurrit festum *dixm*, *dx* aut *sdx* cum magno populi concursu celebratum, Dominica impeditum et in Officio tantum commemoratum, Missae, excepta *una* de Dominica, possunt dici de festo impedito cum commemor. et UE. Dominicæ.

### **4. Translatio alicuius solemnitatis festi in Dominicam.**

Quando solemnitas alicuius festi pro populo in Dominicam sequentem transfertur, Missa sic dicta *Summa* de festo translato celebratur per modum votivae solemnis cum *Gloria*, oratione *unica* (exposito SS-mo fit eius commemor. sub eadem concl.), *Credo*, ult Ev. S. Ioannis: *In principio.*

Si vero in eadem ecclesia alia Missa de festo, in Directorio assignato, non fit, tunc in Missa votiva sub alia conclusione sumenda est commemor. Dominicae ac SSmi Sacr. et U. Ev. Dom. (aliae commemor. omittur) Praef. dic. de Trinit., aut de Tempore, si Mis. votiva propriam non habet (*Ephem. Liturg.* a 1898 p. 583). Dies, vero in quibus de translato festo Missa dici non potest, sunt: Dom. I Adv., dies Cinerum, Dom. I Quadr., Pass. et Palm. cum tota maiori hebdom., Dom. Resurrecct. cum seq. biduo, Dom. in Albis, Dom. Pentec. cum duobus seq. feriis, Dom. SS. Trinit., Festa Nativ. Dni, Epiph., Asc. et Corp. Chr. His accedunt festa: Assumpt., BMV, OO. SS., S. Ioannis Bapt., Patroni, Dedicationis et S. Joseph Sponsi B. V. M. et in hoc casu Missa dicitur de Dominica vel festo, addendo sub una conclusione commemor. festi translati, servatis reliqu. aliis, quae in Directorio assignantur.

### 5. Missa in ecclesia aliena.

Celebrans in ecclesia (capella publica vel semipublica, quia in privato oratorio Missa dicenda est iuxta Rubricellam celebrantis) aliena (habente hac die officium a nostro diversum) debet celebrare Missam officio eiusdem ecclesiae omnino conformem (etiam quoad Missale ibi proprium, exempli gratia Regularium). Si officium alienae ecclesiae admittit Missas privatas votivas vel de Requiem, licet peragere ad libitum vel Missam de Requiem, vel votivam, vel sui officii, vel de feria occurrente.

### 6. Intonationes in Missa.

a) *Intonationes* in Missa cantata—Gloria, Epist., Evang., Credo, Orationum, Praefationis, Pater noster, Ite Missa est etc., cum relativis responsionibus ad chorum pertinentibus *ex pracepto servari debent*, prout in

Missali iacent, et quaecunque contraria consuetudo omnino eliminanda est (S. C. R., 14 Mart. 1896 n. 3891).

b) Epistola a Celebrante in Mis. cantata *legi potest* (S. C. R. 23 Apr. 1875 n. 3350).

c) In omni Mis. cantata *Introitus, Kyrie, Graduale, Tractus, Sequentia, Offertorium, Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus* et *Communio* semper a cantoribus cantari vel saltem ab organario in extenso cum organo recitari debent, et contraria praxis veluti abusus prorsus eliminanda est (S. C. R., 29 Decembr. 1384 n. 3624 ad 11),

d) In cantu Praefationis et Orationis Dominicalis organa pulsari prohibetur (S. C. R., 27 Jan. 1899 n. 4009).

e) Celebrans, dum a choro cantatur *Credo* ad *Incarnatus etc.* in quacunque Mis cantata, dummodo non sedeat, descendit et in sum. gradu utrumque genu fletit et caput profunde inclinat (S.R.C. 28 Mai 1846 n. 2915 ad 6),

## 7. Missa de Requiem.

Leges pro Missis defunctorum in cantu immutatae manent (Const. Apost. *Dir. afflatu*, tit. X, 5).

### a) Tab. Missar. de Requiem.

Inferius posita tabella designat dies, quibus prohibentur diversae Missae de Requiem. Missae indicatae sub quovis numero prohibitae sunt diebus inscriptis sub eodem et superioribus numeris.

## P R O H I B E N T U R:

1 Omnis Mis. de Requiem; Missa exequialis in sepultura, unica, cantata (praesente vel ex gravi causa ab sente corpore, vel etiam sepulto infra biduum) transfertur in proximam diem liberam a festis sub hoc 1 et 2 numero indicatis.	<p>1) a) In festis. Nativit. Dni, Epiph., Pasch., Ascens., Pentecost., SS. Trinit., Corp. Christi, (et Dom. infra eius oct), Annivers. Dedic. et Titular. Eccl., Annunt., Assumpt. et Immacul. Conc. BMV., Nativ. S. Ioan. Baptist., Solemnit. et Commemor. S. Joseph., SS. Ap. Petri et Pauli, OO. Sanctorum et Patroni loci</p> <p>b) Fer. V, VI. et Sabb. Hebdom. Maior.</p> <p>c) Si dies Mis. paroch. vel functione necessaria impeditur (ex gr. festa Palatii).</p> <p>d) Tempore expositionis Solem. SS. Sacram.</p>
2 Missa exequialis (unica cantata) translata ultra biduum.	<p>2) a) In omnibus festis et feriis supra indicatis</p> <p>b) In festo quovis dupl. 1 cl.</p> <p>c) Dominica per totum annum.</p> <p>d) Festo de praecepto.</p>
3 Missa lecta die vel pro die obitus seu depositinis.	<p>3) a) In omnibus festis et feriis supradictis.</p> <p>b) In festo II classis.</p> <p>c) In die octava Corp. Christi.</p> <p>d) In fer. IV Cin. et II, III et IV Hebd. Maior.</p> <p>e) Vigil. Nativ. et Pentec.</p>

4. Missa post acceptum nuntium.	4) a) In omnibus festis et feriis supradictis. b) Infra octavas Epiph., Pasch., Pentec. et Corp. Christi.
5. Missa de die 3, 7, 30 et Anniversarium stricte dictum <sup>1)</sup> . Missa quotidiana in sacellis sepulcreti.	5) a) In festis et feriis supradictis. b) Infra octavam Nativitatis Domini. c) In festo S. Silvestri.
6. Anniversarium late dictum vel fundatum non in die obitus seu depositionis, sed assignatum pro certa die et perenniter celebratum <sup>2)</sup> .	6) a) In omnibus festis et feriis supradictis. b) In dupl.. maior.
7. Missa quotidiana cantata.	7) a) In omnibus festis et feriis supra enumeratis. b) In dupl. (exceptis duobus in quavis hebdomada ex Indulto)
8. Missa quotidiana lecta.	8) a) In omnibus festis et feriis supradictis. b) In omnibus feriis et vigiliis propriam Mis. habent. (excepta prima die libera a festo duplice in quavis hebdomada Quadragesimae).

<sup>1)</sup> Ut Missa pro Anniversario, 3, 7 et 3-o die possit celebrari in dupl et dupl. maiori, debet esse cantata, nullo vero modo lacta.

<sup>2)</sup> Missa in duplice debet esse cantata.

**b) Orationes in Missis pro defunctis.**

In Missis *quotidianis* sive privatis, sive solemnibus, etiam indulto inferius dicto gaudentibus, plures dicendae sunt orationes, quarum *prima* sit pro defuncto vel defunctis certo designatis, pro quibus Sacrificium offertur, ex iis orationibus, quae habentur in Missali; *secunda* oratio sit ad libitum celebrantis, *ultima*, quae est ultima in Missa quotidiana. Si vero pro defunctis in genere Missa celebratur, orationes dicendae sunt, quae pro Missis quotidianis in Missali habentur, eodemque ordine, quo ibi sunt inscriptae. Quodsi in iisdem quotidianis Missis placuerit celebranti plures orationes addere, id fieri potest *tantum in Missis lectis*, semper in numero impari et non ultra septem orationes et postremo loco orationem pro Omnibus fidel. defunctis (*Fidelium Deus*) collocando.

**Nota.** Sequentia *Dies irae* semper est dicenda in *Missis cantatis* (et in lectis in diebus: Commemor. OO. Fidel. defunct., obitus seu depositionis, 3, 7, 30 et Annivers.). In lectis *qnotidianis*, potest recitari, vel omitti, ad libitum celebrantis.

**c) Indultum pro duabus per hebd. Missis de Requiem.**

Decretum:— „Sacra Ritum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro PIO Papa Decimo tributis, benigne annuit pro gratia ad aliud proximum decennium“ bis per hebd. Missas de Requiem in duplicibus celebrandi. „Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14 Martii 1908 a“. Subscriptis Card. Cretoni Praef. — D. Panici Archiep. Laodicen. Secret:

Quocirca notandum est:

a) Indultum esse *locale* non *personale*, id est: non cuilibet sacerdoti licere bis per hebdomadam vi

praedicti indulti celebrare Missas de Requiem, ubi voluerit, sed in qualibet ecclesia duobus diebus per hebdomadam, ab eiusdem ecclesiae rectore assignadis, Missae in colore nigro etiam a pluribus sacerdotibus cantari possunt.

b.) Dies vero pro praedictis Missis assignandi non sunt: duplia I vel II class., festa de preecepto, — Dominicae, — octavae, feriae, vigiliae privilegiatae.

c.) Numero duorum dierum per hebdomadam nil obstare officium inferioris ritus (sdx. aut. splx) eadem hebdomada occurrens. Etsi igitur bis vel etiam ter eadem hebdomada off. sdx. cadat, nihilominus tamen indultum pro reliquis duobus diebus, officio dupli majori vel minori occupatis, valet.

d.) Tandem Missa cantanda est *quotidiana*. *Or. 1-ma ex orationibus diversis iuxta intentionem, 2-da ad libit. celebrantis, 3-tia Fidelium Deus..., et Sequentia.*

#### **d.) Missa de Requiem in oratoriis.**

In Ecclesiis et Oratoriis quibuslibet, publicis ac privatis, Missas lectas de Requie, praesente, insepolto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere fieri posse ut in die obitus seu depositionis, quotiescunque rubricae cantatas permittunt, exceptis festis 1 et 2 classis et de preecepto. (SRC. 8 — VI, 1896).

#### **e.) In ecclesiis vel sacellis sepulcreti.**

(Non autem in ecclesiis vel oratoriis extra coemeterium) Missae de Requiem prohibentur tantum in festis duplicibus 1 et 2 cl., in Dominicis ac festis de preecepto, atque in feriis et vigiliis, octavisque privilegiatis. Privilium hoc non servit ecclesiis et sacellis, in quibus defuncti iam amplius non sepeliuntur. (S.R.C. 19.—V. 1896. 1-o).

f.) De Missis lectis de Requiem.

Iuxta Constitut. Apost. *Divino afflatu* Missae lectae de Requie adhuc prohibentur in feriis Quadragesimae, Quattuor Temporum, feria II Rogationum et in vigiliis (generatim dicendo in fériis et vigiliis proprias Missas in Missali habentibus). In Quadragesima vero Missae privatae Defunctorum celebrari *tantum* possunt *prima* die simidupl. vel simpl. cuiscumque hebdomadae.

**8. Missa ad libitum celebrantis.**

In fériis Quadragesimae, Quattuor Temporum, Feria II Rogationum et in vigiliis, si occurrat fieri officium alicuius festi duplicis (non tamen I et II cl.) aut semi-dupl. Missae privatae lectae dici poterunt ad libitum vel de festo, vel de feria, sicut in Directorio assignatum est.—Quando in fériis supradictis, celebratur, pro defunctis *dummodo reapse pro def. applicetur*, addi potest oratio pro defunctis in quorum suffragium offertur, etiamsi in ea Missa agenda sit *commemor. de occidente duplii minori vel maiori*. Huiusmodi oratio non excludit orationes de tempore, etiamsi ea die a rubricis praescribatur oratio *Omnipotens* pro vivis et defunctis, vel *Fidelium*. Haec oratio (id est addita ad libitum pro def.) poni debet *semper penultimo loco*, etiam quando a sacerdote sumuntur orationes ad libitum in simplicibus in Directorio non praescriptae, sed semper ante imperatas; quo in casu non est attendendus numerus orationum, utrum sit dispar nec ne (SRC. 12—VI. 1912). Talis Missa gaudet omnibus indulgentiis et privilegiis Missae de Requie in colore nigro celebratae.

**9. Decretum circa Mis. tricenarias Gregorianas et Altaria item Gregoriana.**

Supremae S. Congregationi S. Officii sequentia exhibita sunt dubia de Missis triginta, quae Gregoria-

nae nuncupantur, nec non de Altaribus, tum ecclesiae S. Gregorii in Monte Coelio Urbis, tum alibi exsistentibus, quae ad instar illius appellata sunt Gregoriana.

I. Necessarium est, ut Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione iuxta Decretum S. Congregationis Indulgentiarum de die 14 ianuarii 1889 an.

II. Non satisfacit sacerdos, qui eadem die bis vel ter vel per se (v. gr. die Natalis Domini) vel per alias celebrationem reassumat ita ut triginta dierum spatio Missae omnes celebrentur.

III. Idem sacerdos impeditus tenetur alium sibi substituere celebraturum Missam aliquam tricenariam.

IV. Non satisfacit obligationi curandi trecenarium Gregorianum, si pluribus sacerdotibus triginta Missas Gregorianas committat, eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem.

V. Diebus in tricenario occurrentibus, in quibus Missa de Requie a rubricis permittitur, ipsa legi *non debet* ad onus tricenarii Gregoriani satisfaciendum, sed poterit tamen laudabiter legi pietatis gratia erga defunctum diebus, quibus licet et decet.

VI. Amplius privilegia personalia Altaris Gregoriani „ad instar“ non sunt concedenda.

VII. Concessiones Altaris Gregoriani personalis, forsitan factae, habentur ut merae concessiones Altaris simpliciter privilegiati. (*Acta Ap. Sed.*, vol. V., pag. 32).

**Nota.** Missae trecenariae Gregorianae celebrari *debent* pro una anima et quidem *determinata*, non vero *generatim pro defunctis*.

## II. Adnotaciones varae.

1. Cum SSm. Sacramentum extra ecclesiam circumfertur, ne ob ventum aut imbre omnia lumina extinguantur, Benedictus XIII in Concilio Romano an. 1725 statuit, ut ad *quattuor boldachimi angulos* quattuor deferantur super hostilem laternae accensae.

2. **Lampas** coram SS. Eucharist. Sacr. de pcepto continuo die noctuque ardere debet (22 Aug. 1699). Praeceptum grave iuxta plures adeo, ut qui culpabiliter in hoc deficeret vel uno die integro, *mortaliter* peccare potest. Quoad oleum, quo lampades nutruntur, generatim utendum est oleo olivarum, ubi, vero haberi nequit, remittendum prudentiae Episcoporum, ut lampades nutrientur ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetabilibus. (SRC. 9 Jul. 1864).

3. **Non licet** deferre supra calicem aliquam rem: e. gr. clavem tabernaculi, perspicillia, sudarium, SS. Reliquias, Ostensorium etc. (SRC. I sept. 1703).

4. **De Communione infirmis non ieunis.** Pius PP. X. re mature perpensa auditoque consilio S. Congreg. Concilii benigne concessit, ut infirmi, qui iam a mense decumberent absque certa spe, ut cito convalescant, de confessarii consilio SS. Eucharistiam sumere possint *semel* aut *bis in hebdomada*, ubi SS. Sacr. adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in oratorio domestico. *Semel* vero aut *bis* in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus sumpserint (S. Congr. Conc. d. 7 Dec. 1906). Nomine infirmorum, qui a mense decumbunt et iuxta supradictum Decret. S. Eucharist. non ieuni sumere possunt, non intelliguntur solummodo infirmi, qui in lecto decumbunt, sed etiam, qui quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queunt (S. Congr. Concil. die 25 Mart. 1907).

**5. De Communione in privatis oratoriis.** In privatis oratoriis licet Communionem Sacram distribuire (SRC. 8 mai 1907 an).

**6. De benedictione mulieris.** Non est deneganda Benedictio mulieris post partum pueruae cuius proles mortua fuit sine Baptismo (SRC. 19. V. 1896).

### **III. Antiphonae et Versus pro commemorationibus de eodem Communi.\*)**

Si Antiphonae et Versus commemorationis facienda eadem sunt ac in officio, ne bis dicantur, mutanda sunt hoc modo:

1. Pro simplici in I Vesp. Antiphona et Versus commemorationis sumuntur e Laudibus; et in Laudibus — ex I Vesperis eiusden Communis.

2. Pro festo ad instar simplicis redacto, si in utrisque Vesperis commmoretur, in I Vesp. Antiphona et Versus sumuntur e secundis Vesperis; in Laudibus ex primis Vesperis; ac in secundis Vesperis Antiphona e Laudibus, Versus ex primis Vesperis (excipitur commemoratio alicuius s. Virginis facienda in festo alterius S. Virginis: tunc in primis Vesperis Antiphona sumenda est e Laudibus).

3. Pro festo redacto, quod ob subsequens festum in secundis Vesperis non commmoretur, idem valet quod dictum est de simplici sub 1-o.

4. Si vero plures commemorationes facienda sint ex eodem Communi, SRC. haec statuit:

---

\*) Wapelhorst, *Compendium S. Liturgiae*, p. 376.

*Ad Vesperas*— dictis Antiphona et Versu de 1 et 2 Vesperis, altera commemoratio fit per Antiphonam de Laudibus et Vers. ex 2 Nocturno; ultima vero per primam Antiphonam et Versum ex 3 Nocturno.

*Ad Laudes* vero, dictis Antiphona et Versu de Laudibus, prima commemoratio fit per Antiphonam et Versum de 1 Vespersis; altera vero per Antiphonam de 2 Vesperis et Versum ex 2 Nocturno; tertia tandem per primam Antiphonam et Versum 3 Nocturni.\*)

Si Antiphona sit eadem, sed Versus diversus, sola Antiphona mutatur; si Versus sit idem Antiphona diversa, solus Versus mutatur.

Pro die infra octavam Antiphona et versus ex secundis Vesperis festi sumuntur.

#### **IV. Ritus exponendi et deponendi Sanctissimi Sacramenti in Dioecesi Vilnensi servandus.**

##### **a). Ritus exponendi et deponendi Sanctissimi Sacramenti in Dioecesi Vilnensi servandus.**

Color paramentorum adhibetur ille, quem dies, in quo fit expositio, iuxta Calendarium dioecesanum (Rubricula) exigit, sed tunc solummodo, quando expositio facienda est immediate post quodlibet officium, ut post Missam, Vespertas, Completorium, Matutinum; alias—semper albus.

Sacerdos, accedens ad altare, genuflectit unico genu in plano, deinceps surgit et genuflectit utroque genu in gradu infimo et hic paululum orat.\*\*) Interim chorus et fideles, sacerdote aut organario praeintonante, lingua vulgari cantat: *Niechaj będzie pochwalony — Tegul buva pagarbintas.*

\*) SRC. 27 iun. 1899, Urbis Dubia Varia, n. 4042.5

\*\*) *Caerem. Ep.*, lib. I. c. 15, n. 5; B. De Herdt., *Sacrae Liturgiae praxis.*, t. II. n. 26.

Interim sacerdos Sanctissimum Sacramentum exponit, descendit in planum, utrumque genu flectit in infimo gradu, caput profunde inclinat, surgit, imponit sine benedictione thus, genuflectit in eodem infimo gradu, dupli ictu in triplici ductu Sanctissimum incensat, facta profunda capitis inclinatione ante et post thurificationem.

Thurificatione peracta accipit velum, ascendit ad altare, genuflectit accipit SS-mum, convertit se ad populum et tenens, iuxta consuetudinem, ante oculos Ostensorium cum Sanctissimo Sacramento, cantat: *O Salutaris Hostia*; hoc versiculo a choro finito — *Uni Trinoque*.

His decantatis, sine benedictione populi\*) vertit se per cornum Evangelii ad altare. Ostensorium cum Sanctissimo ponit supra altare, genuflectit, descendit in planum, genuflectit in gradu infimo et hic, i. e. in gradu infimo, genuflexus, dupli ictu in triplici ductu incensat Sanctissimum Sacramentum; postea surgit, ascendet ad altare, ibi genuflectit, dein Ostensorium cum Sanctissimo supra thronum locat.

Ad benedictionem cum Sanctissimo, peracto officio toto omnibusque precibus persolutis, sacerdos deponit Sanctissimum de throno supra altare, genuflectit, descendit in planum, genuflectit in infimo gradu utroque genu et intonat stropham: *Tantum ergo Sacramentum*, chorus et fideles hymnum lingua latina, non vulgari\*\*), continuant; ad verba: *Veneremur cernui* caput profunde omnes inclinant; deinceps intonat sacerdos: *Genitori Genitoque*, et dum ab omnibus cantus hic continuatur, ipse surgit, imponit sine benedictione thus, genuflectit, incensat Sanctissimum dupli ictu in triplici ductu, observata profunda capitis inclinatione ante et post incensationem. Cantu finito, adhuc genuflexus cantat versum: *Panem de coelo praestitisti eis* (tempore Paschali et per totam octavum Solemnis Commemor.

\*) Decr. S. R. Congr. 3530. 2.

\*\*) Decr. S. R. Congr. 3058. 1; 3308.

## XVIII

SS. Corporis Christi additur *Alleluja*\*, chorus et omnes respondent: *Omne delectamentum in se habentem* (temp. Pasch. et per tot. oct. Corp. Chr. *Alleluja*), postea surgit Sacerdos et cantat: *Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento etc.*; concludendo breviter: *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum*. Chorus respondent: *Amen* et silescit.

Sacerdos, cantata oratione, accipit super humeros velum, accedit ad Sanctissimum, genuflectit, accipit manibus velo obvolutis Ostensorium cum Sanctissimo et cum Illo benedicit populo. Organum et cantores tunc temporis silent, sola campanula suavi ac moderato sono pulsante \*\*).

Benedictione finita Celebrans deponit Sanctissimum super altare, genuflectit, descendit in planum, genuflectit in infimo gradu, modo consueto incensat Sanctissimum, dein reddito thurribulo, cum fidelibus alternatim in lingua vulgari recitare potest: *Niech będzie Bóg błogosławiony*, vel *Palaimintas Dievas*; denique dicit sacerdos lingua pariter vulgari: *Najśw. Serce Jezusa*, etc. vel *Svenc. Sirdis Jezaus* etc. *Niech będzie pochwalonny Przenajśw. Sakrament*, vel *Tegul bus pagarbintas*; quam salutationem fideles trina vice repetunt; interim autem sacerdos surgit, accedit ad altare, genuflectit et Sanctissimum Sacramentum in tabernaculo claudit.

### b) Ritus expositionis Sanctissimi Sacramenti privatae, i. e. in Pyxide.

In expositione huiusmodi sacerdos debet esse indutus superpelliceo et stola albi coloris, si expositio fit extra aliquod officium.

\*) Decr. S. R. Congr. 3448. 10.

\*\*) Si benedictio fit post processionem et cantatur *Te Deum*, sacerdos, postquam pervenit ad altare, sese convertit cum ostensorio ad populum, et si iam finitus sit *Te Deum*, intonat iuxta consuetudinem *Salvum fac* trina vice; quo peracto, ostensorium statuit supra altare, et modo consueto imponit incensum et thurificat; si nondam sit cantus finitus, expectat stando conversus ad populum cum ostensorio; vel potest ponere super altare cum debitis incensationibus. et postea cantat *Salvum fac*.

Celebrans accedit ad altare, genuflectit in plano et postea in infimo gradu, ubi breviter orat, modo consueto aperit tabernaculum, genuflectit, sacram Pyxidem velo suo (sukienka), coopertam in tabernaculo aperto derrlinquit, genuflectit, descendit in planum et genu flectit in infimo gradu. Dictis, omnibusque peractis, quae sint dicenda et peragenda, sacerdos pro benedictione accipit velum supra humeros, accedit ad altare, genuflectit, accipit Pyxidem sacram, non ponit Illam supra altare, sed manu tenens, altera manu cooperit Illam extremitatibus veli sui humeralis, vertit se ad populum et in silentio benedicit adstantibus. Benedictione finita, Pyxidem sacram deponit immediate in tabernaculum (non deponit supra altare), genuflectit, descendit in planum, deponit velum et genuflexus in infimo gradu prius Sanctissimum incensat, si incensandum\*) sit, dein recitat lingua vulgari cum fidelibus alternatim: *Benedictus Deus et Cor Jesu Sacr.* etc., denique cantat salutationem consuetam pariter lingua vulgari: *Niech będzie pochwalony Przenajświętszy Sakrament vel Tegul bus pagarbintas*; postea sacerdos surgit, accedit ad altare, genuflectit et claudit tabernaculum, et facta brevi oratione in silentio in infimo gradu, venit in sacristiam.

## V. Regulae ieunii in dioecesi Vilnensi observandae.

Animarum Curatores illorumque Vicarii Fideles ubique data occasione edocere velint, quid Ecclesia omnibus temporibus et ubique locorum de ieunio tenerit ac teneat quidque etiam ab omnibus catholicis sit tenendum: Ieunium gratam esse Deo mortificationem et veram pro peccatis nostris satisfactionem; ieu-

---

\*) In benedictione cum Pyxide thurrificatio est ad libitum, imo potest omitti. SRC. 2657.

nium iram Dei placari et virtutibus animas ornare; ie-  
junium misericordiam Dei movere et gratias uberiore  
a Deo obtinere; iejunium exemplo Christi Domini esse  
sancitum, ab omnibus Sanctis observatum; iejunium e  
animos recreare et corpori prodesse; iejunium ad festa  
sancta rite celebranda mentem et cor optime disponere  
et ab Ecclesia sub gravi omnibus, ab iusto impedimen-  
to liberis, praescribi; iejunium ab omnibus quo perfe-  
ctiores sunt eo strictius observari.

Cum tamen nostris temporibus vitae adiuncte  
paupertas, sanitatis defectus iejunium pluribus observa-  
tioni impossibile faciant Sancta Ecclesia, quae est ver-  
fidelium Mater, quaeque pro potentibus dispensare se  
lebat, ne peccata multiplicentur, dispensationem benig-  
nissime concedit, qua quisque tuta conscientia uti po-  
test, dummodo regulas, quae sequuntur, observet:

I. Consuetudo, vi cuius in regione nostra ieju-  
nium quoad quantitatem per totum annum non observa-  
tur, ulterius tolerari potest.

II. Pro Quadragesima cum omnibus fidelibus dis-  
pensatur super esu carnium diebus Dominicis pro qui-  
vis vice in die, semel vero in die feriis II, III, V; si  
per usu lacticiniorum quavis vice in die omnibus di-  
bus, excepto die Parasceves, in quo neque carnium ni-  
que lacticiniorum usus conceditur.

III. Lacticiniis diebus quattuor temporum, feri-  
IV ac VI adventus, omnibus vigiliis, sola vigilia Omni-  
um Sanctorum excepta, ac omnibus feriis VI (excep-  
die Parasceves) vesci licebit.

IV. Carnibus quavis vice in die in festo s. Mar-  
ac festis solemnibus Domini ac B. Mariae V., si  
diebus ieunii (excepta Quadragesima) incident, uti liceb-

V. Diebus Sabbati, nisi aliud iejunium incida  
carnibus quavis vice in die uti licebit.

VI. In supra dictis casibus etiam nulla interrup-  
tione speciali causa cum omnibus dispensatur.

VII. Indultum ad sequens decennium cededitu  
Vilnae, die 30 decembris 1911 anno.

# **Devotio privata.**

**Sacerdos-homo Dei vir orationis esse debet.**

Sacerdos quomodo potest a populo observari, qui nihil habet secretum a populo, et a multitudine dispar?... Quid in te miretur si sua in te cognoscit, si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat? (s. Ambr., lib. I op. 6).

---

**Dies Sacerdotis a meditatione incepatur  
oportet.**

„Beatus vir, qui..... in lege Eius (Domini) *meditabitur* die ac nocte..., erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum..... omnia, quaecumque fecit, prosperabuntur.“ (Ps. I. 1—4).

„Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea....., si... in matutinis *meditabor* in te.“ (Ps. 62. 6—7).

«*Summum igitur studium nostrum sit in vita Jesu Christi meditari*». (De imitat. Chr. I, 1).

«*Inteligite, fratres, nil aeque ecclesiasticis omnibus viris esse necessarium, ac est oratio mentalis, actiones nostras omnes praecedens, concomitans et subsequens... Si Sacra mentis ministras, o frater, meditare quid facis; si Missam celebras, meditare quid offers; si psallis, meditare, Cui et quid loqueris; si animas regis, meditare quoniam Sanguine sint lavatae*» (S. Carolus. *Or. ad clerum*).

«*Magnarum utilitatum summa, quas meditatio patrere est nota, nos item docet atque odmonet, quam sit illa, non modo in omnem partem salutaris, sed admodum necessaria*». (Pii PP. X. *Adhortatio ad clerum*, 4 aug. 1908 an).

„Frater mi Carissime! si sacerdos zelosus ac sanctus esse vis..... meditationem adama!“ (Pelczar. *Ascetyka I*).\*)

\*). **Libri qui sacerdotibus in meditatione instituenda audiutorio esse possunt.** S. Augustini, *Meditationes et soliloquia* 45 cop. Cuvelhier, *Meditationes brevissimae in usum sacerdotum* 45 cop. Da Ponte, *Meditationes de praecipuis fidei nostrae mysteriis*. 6 vol. 8 rb. Krust, *Meditationes et Exercitia* 2,50. Laniccius, *De piis erga Deum et sanctos affectibus*. 2 vol. 3 rb. Mana, *quotidiana sacerdotum*. 3 vol. 5,70, Pettididier, *Exercitia spiritualia*. 1,20 Chaignon, *Rozmyślania dla kapłanów* 3 t. 6 rb. Chmielowski, *Rozmyślania o cnotach teologicznych* 50 cop. Chmielowski, *Rozmyślania o pokucie*, 75 cop. eiusdem, *Kapłan i cnota czystości*. 75 cop. Clemens, *O miłości ukrzyżowanego Zbawiciela* 2 t. 1,80, Hamon, *Rozmyślania* 2 t. 3 rb. Jackowski, *Rozważ to dobrze*, 30 cop. Jeż, *Szereg rozмышлń dla kapłanów* 90 cop. Krasset, *Śluga Chrystusowy* 1 rb. Pelczar, *Rozmyślania o życiu kapłana* 2 t. 5,40, eiusdem, *Jezus Chrystus* 4 vol. 6 rb. Semenenko, *Ćwiczenia duchowne* 2,70. Tomasz a Kempis, *O naśladowaniu Jezusa Chrystusa*. 30 cop. Vercruese, *Przewodnik prawdziwej pobożności*. 2 t. 3 rb. Belleciusz, *Ćwiczenia duchowne*, 60 kop. Bernatowicz, *Krótkie rozmyślania dla kapł.* 60 kop. Caron, *Kwadrans u stóp Jezusa*, 50 kop. Crasset, *Klucz do rozмышлń* 15 kop. Gaśiorowski, *Droga do poznania Boga* 2 t. 4 rb. *Sto rozмышлń o Przen. Najśw. Sakr.* 50 cop. Grou, *Rozmyślania o miłości Bożej*. 80 cop. Kajsiewicz, *Rozmyślania o Męce Chr. Panu* 1 rb. Patiss, *Materiae meditationum* 5 rb. eiusdem. *Podręcznik do rozмышлń* 4 t. 5 rb. Pinamonti, *Ćwiczenia duchowne św. Ignacego* 60 cop., Św. Alfons Liguori, *Podręcznik do meditacyi* 3 t. 5,50 cop. Chaignonas, *Meditacio arba dvasiski apdumojimai* 4 vol. 2 r. O. Solski, *Rozmyślania na wszystkie dni całego roku*, 2 tomy. Schneider, *Lectiones quotidianaæ*. Seminarii Mechliniensis, *Meditationes ad usum alumnorum et sacerdotum*, p. 2.

*Nota.* Veneunt in libraria catholica J. Zapaśnik, Vilnae. Dominiakańska 4.

# Orationes pro Confessione sacramentali.

## Oratio

*ante sacramentalem Confessionem.*

Súscipe Confessióinem meam, piíssime ac clemen-tíssime Dómine Jesu Christe, única spes salútis ani-mæ meæ, et da mihi, óbsecro, contritíonem cordis, et lácrimas óculis meis, ut défleam diébus ac nóctibus omnes negligéntias meas cum humilitáte et puritáte cordis. Dómine Deus meus, súscipe preces meas. Salvátor mundi, Jesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos fáceres, résponce me miserum peccatórum invocántem nomen tuum, et noli sic atténdere malum meum, ut obliviscáris bonum tuum; et si com-misí unde me damnáre potes, tu non amisísti unde salváre soles. Parce ergo mihi, qui es Salvátor meus et miserére peccatríci ánimae meæ. Solve vincula ejus, sana vúlnera. Emítte ígitur piísime Dómine, méritis purísimæ et immaculátæ semper Virginis Genitrícis tuæ Mariæ et Sanctórum tuórum, lucem tuam, veritátem tuam in ánimam meamq, quæ omnes deféctus meos in veritáte mihi osténdat, de quibus confitéri me opór-tet, atque iuvet; et dóceat ipsos plene et contrító corde explicáre. Qui vivis et regnas Deus per ómnia sáecula sæculorum. Amen.

## Examen conscientiae.

I. Circa curam rerum spiritualium. **Preces quotidianæ:** *quot? quomodo? meditatio?* **Missa:** *praeparatio ad Missam remota et proxima? in ipsa Missae celebratione*

*qualis intentio? attentio? devotio? observatio rubricarum?*  
*Quaenam gratiarum actio post Missam? Breviarium: quo-*  
*modo et quando? integre, digne, opportuno tempore, situ,*  
*loco decenti? attente ac devote recitas? num nimis festi-*  
*nanter? num distractionibus ansam praebebas? Exercitia:*  
*meditatio lectio spiritualis? examen conscientiae generale et*  
*rpaticulare? visitatio SS-mi Sacr.?*

II. Circa usum Sacramentorum. **Confiterisne vera**  
*cum sinceritate, contritione et emendationis proposito?*  
*etiam circa venialia? quomodo te praeparas? num forte*  
*quaeris confessarium, qui non advertat ad tua peccata,*  
*neque interroget, neque dirigat, vel forte eodem vitio ac*  
*tu labore? Num poenitentiam persolvis?*

III. Circa curam animarum. **Confessiones:** audisti  
*libenter? serio? absque personarum acceptione? num ro-*  
*gatus ad Sacramenti alicuius administrationem ire tar-*  
*das? num obmurmuras? Concisiones: suntne sedulo praepa-*  
*ratiae et graviter habitae absque tui ostentatione et vani-*  
*tate? Curam paternam impendis pueris in schola et extra?*  
*pauperibus? aegris? Residentia: num forte absque legitima*  
*causa nimis frequenter abes a parochia cum animarum*  
*damno, aut saltem periculo?*

IV. Circa vitam privatam. **Fides:** cogitationes?  
*lectiones? colloquia contra fidem? Obedientia: repugnantia?*  
*obmurmuratio? violatio ieiunii vel abstinentiae? Castitas:*  
*cogitandno? non repellendo tentationes et occasiones? desi-*  
*derio? loquela? visu? opere? Temperantia: in cibo? potu?*  
*somno? lusu? relaxatione animi? irane admissa? scurri-*  
*litas? levitas? Caritas: invidia? detractio? calumniae?*  
*verba dura? eleemosynae? Modestia clericalis: in custodia*  
*sensuum? in conversatione: vanitas, incauta locutio de*  
*rebus sacris, de propriis Praepositis, de confessionibus?*  
*In vestitu? tonsura? in supellectili? Paupertas conveniens*  
*statui clericali? Usus temporis: quomodo aestimas tem-*  
*pus? quomodo utaris tempore, libero ab officiis status?*  
*sitne iactura temporis?*

## Actus contritionis et propositi.

Peccavi, Domine, peccatum grande, et multorum mihi conscius sum delictorum... O Pater misericordiarum, quid retribui tibi pro dilectione tua!... Nihil, nisi peccata;... licet toties promisi te nunquam offendere, peccata vitare... denuo miserrime lapsus sum... Utinam te nunquam offendissem nec offenderem post-hac in aeternum!... Tibi soli peccavi et malum coram te feci.

Doleo ex toto corde de omnibus peccatis meis tam occultis, quam mihi notis, quia iis te offendii, qui es summe bonus, infinite perfectus, maxime amabilis... Doleo, quia peccavi contra te, Creatorem, Redemptorem, Deum meum, quem diligere... cui servire debui... Detestor, execror, abominor omnia delicta, quae inde a pueritia ad hanc usque horam commisi; detestor illa propter eorum turpitudinem... propter iram et poenam iustitiae tuae... praecipue autem, quia te summum bonum infinite amabilem offendi...

Ignoscere, mi Deus, qui non vis mortem peccatoris, ignosce!... Propono firmissime ex hoc momento nunquam iterum te offendere... Propono vitare constanter et singulari studio deliberata peccata omnia et occasiones peccandi (illud praeseritum N.). - Agam poenitentiam... Serviam tibi, Deo meo, fidelius... Ignosco tui amore omnibus... Quotquot unquam gravavi, scandalisavi, laesi, contristavi, contempsi aut iudicavi, pro viribus satisfacere volo... In satisfactionem pro omnibus peccatis meis offero merita Jesu Christi, B. V. Mariae omniumque Sanctorum tuorum...

Utinam te, Domine, mi Deus, ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex omnibus viribus meis super omnia diligam!... Tu omni amore, honore et cultu dignus es, cuius sanctissimam voluntatem in omnibus exequi cupio tibique abhinc in meo statu fideliter servire. Amen.

**Oratio**  
*post Confessionem.*

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de puritate et integritate confessio-  
nis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolu-  
tum in coelo. Quis vivis et regnas Deus per omnia  
saecula saeculorum. Amen.

(Renova propositum et offer illud SS. Cordi Jesu).

**Litaniæ de Ss. Nomines Jesu.**

Indulgentia 300 dierum semel in die has Litanias cum ad-  
nexis precibus devote recitantibus. (Leo XIII, 16. Jan. 1886).

Kyrie élison.	
Christe élison.	
Kyrie élison.	
Jesu, audi nos,	
Jesu, exaudi nos.	
Pater de cœlis Deus,	miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi Deus.	miserére.
Spíritus Sancte Deus,	miserére.
Sancta Trinitas unus Deus,	miserére.
Jesu, Fili Dei vivi,	miserére.
Jesu, splendor Patris,	miserére.
Jesu, candor lucis æternæ,	miserére.
Jesu, Rex gloriæ,	miserére.
Jesu, sol justitiæ,	miserére.
Jesu, Fili Maríæ Vírginis,	miserére.
Jesu, amabilis,	miserére.
Jesu, admirabilis,	miserére.
Jesu, Deus fortis,	miserére.
Jesu, Pater futuri sáeculi,	miserére.
Jesu, magni consílli Angele,	miserére.
Jesu, potentissime,	miserére.

Jesu, patientíssime,	miserére.
Jesu, obedientíssime,	miserére.
Jesu, mitis et húmiliis corde,	miserére.
Jesu, amátor castitátis,	miserére.
Jesu, amátor noster,	miserére.
Jesu, Deus pacis,	miserére.
Jesu, auctor vitæ,	miserére.
Jesu, exemplar virtútum,	miserére.
Jesu, zelétor animarum,	miserére.
Jesu, Deus noster,	miserére.
Jesu, refúgium nostrum,	miserére.
Jesu, Pater paúperum,	miserére.
Jesu, thesaúre fidélium,	miserére.
Jesu, bone Pastor,	miserére.
Jesu, lux vera,	miserére.
Jesu, sapiéntia ætérrna,	miserére.
Jesu, bónitas infinita,	miserére.
Jesu, via et vita nostra,	miserére.
Jesu, gaúdium Angelórum,	miserére.
Jesu, Rex Patriarchárum,	miserére.
Jesu, Magíster Apostolórum,	miserére.
Jesu, Doctor Evangelistárum,	miserére.
Jesu, fortitúdo Martyrum,	miserére.
Jesu, lumen Confessórum,	miserére.
Jesu, púritas Vírginum,	miserére.
Jesu, coróna Sanctorum ómnium,	miserére.
Propítius esto;	parce nobis, Jesu.
Propítius esto,	exaudi nos, Jesu.
Ab omni malo,	líbera nos, Jesu.
Ab omni peccato,	líbera.
Ab ira tua,	líbera.
Ab insídiis diáboli,	líbera.
A spíritu fornicatiónis,	líbera.
A morte perpéta,	líbera.
A negléctu inspiratiónum tuárum,	líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ,	líbera.
Per nativitatem tuam,	líbera.

## XXVIII

Per infántiam tuam, líbera.  
 Per diviníssimam vitam tuam, líbera.  
 Per labóres tuos, líbera.  
 Per agoníam et passiónem tuam, líbera.  
 Per crucem et derelictiόnem tuam, líbera.  
 Per languóres tuos, líbera.  
 Per mortem et sepulúram tuum, líbera.  
 Per resurrectiόnem tuam, líbera.  
 Per ascensiόnem tuam, líbera.  
 Per Sanctissimae Eucharistiae institutiόnem tuam, líbera.  
 Per gaúdia tua, líbera.  
 Per glóriam tuam, líbera,  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Jesu.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos Jesu.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserere nobis, Jesu,  
 Jesu, audi nos.  
 Jesu, exaudi nos.

### ORÉMUS.

Dómine Jesu Christe, qui dixísti: Pétite et accipiétis, quáerite et inveniétis, pulsáte et aperiéntur vobis, quáesumus, da nobis peténtibus diviníssimi tui amoris afféctum, ut te toto corde, ore et ópere diligámus et a tua numquam laude cessémus.

Sancti Nominis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum, quia numquam tua gubernatióne destituis, quos in soliditatē tuæ dilectioni instituis. Qui vivis et regnas in sáecula sáculorum,  
 Amen.

### Litaniæ de Sacro Corde Jesu.

Indulgentia 300 dierum huiusmodi Litanias cum adnexis precibus tum privatim tum publice devote recitantibus vel decantantibus. (Leo XIII. 2. Aprilis 1899).

Kyrie eleison.  
 Christe eleison.  
 Kyrie eleison.

Christe, audi nos,	
Christe, exaudi nos.	
Pater de cœlis Deus,	miserére nobis
Fili Redémpтор mundi Deus,	miserére
Spiritus Sancte Deus,	miserére
Sancta Trinitas, unus Deus,	miserére
Cor Jesu Fili Patris æterni,	miserére
Cor Jesu, in sinu Virginis Matris a Spíritu Sancto formátum,	miserére
Cor Jesu, Verbo Dei substantiáliter unitum,	miserére
Cor Jesu, Maiestatis infinitæ,	miserére
Cor Jesu, templum Dei sanctum,	miserére
Cor Jesu, tabernáculum Altíssimi,	miserére
Cor Jesu, domus Dei et porta cœli,	miserére
Cor Jesu, fornax ardens caritatis,	miserére
Cor Jesu, iustitiae et amoris receptáculum,	miserére
Cor Jesu, bonitatem et amore plenum,	miserére
Cor Jesu, omni laude dignissimum,	miserére
Cor Jesu, rex et centrum omnium cordium,	miserére
Cor Jesu, in quo hábitat omnis plenitudo di- vinitatis,	miserére
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complácuit,	miserére
Cor Jesu, de cuius plenitudine omnes nos accépimus,	miserére
Cor Jesu, desidérium collium æternorum,	miserére
Cor Jesu, pátiens et multæ misericordiæ,	miserére
Cor Jesu, dives in omnes qui ínvocant Te,	miserére
Cor Jesu, fons vitæ et sanctitatis,	miserére
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris,	miserére
Cor Jesu, saturatum opprobriis,	miserére
Cor Jesu, attritum propter scélera nostra,	miserére
Cor Jesu, usque ad mortem obediens factum,	miserére
Cor Jesu, fons totius consolatiónis,	miserére
Cor Jesu, vita et resurréctio nostra,	miserére
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,	miserére
Cor Jesu, víctima peccátorum,	miserére
Cor Jesu, salus in Te sperántium,	miserére

Cor Jesu, spes in Te moriéntium, miserére.  
 Cor Jesu, delíciæ Sanctórum ómnium, miserére.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exaudi nos, Dómine.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis  
 V. Jesu, mitis et húmilis corde.  
 R. Fac cor nostrum secúndum Cor tuum.

## OREMUS.

Omnípotens sempítérne Deus, résponce in Cor di-  
 lectíssimi Fílli tui, et in laudes et satisfactíones, quas  
 in nómine peccatórum tibi persólvit, iísque misericórdiam  
 tuam peténtibus, tu véniam concéde placatus, in  
 nómine ejúsdem Fílli tui Jesu Christi, qui tecum vivit  
 et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia  
 sáecula sáculórum. Amen.

## Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virg.

Indulgentia 300 dierum toties quoties. (Pius VII 30 Sept. 1817).

Kyrie eléison, Christe eléison.  
 Kyrie eléison  
 Christe, audi nos.  
 Christe, exaudi nos.  
 Pater de cœlis Deus,  
 Fili, Redémptor mundi Deus,  
 Spíritus Sancte, Deus  
 Sancta Trínitas, Unus Deus,  
 Sancta Maria,  
 Sancta Dei Génitrix,  
 Sancta Virgo Vírginum,  
 Mater Christi,  
 Mater divínæ grátiæ,  
 Mater puríssima,

miserére nobis.  
 miserére.  
 miserére.  
 miserére.  
 ora pro nobis.  
 ora.  
 ora.  
 ora.  
 ora.  
 ora.

Mater castíssima.	ora.
Mater invioláta,	ora.
Mater intemeráta,	ora.
Mater amábilis,	ora.
Mater admirábilis,	ora.
Mater boni Consílii.	ora.
Mater Creatóris,	ora.
Mater Salvatóris,	ora.
Virgo prudentíssima,	ora.
Virgo veneránda,	ora.
Virgo prædicanda,	ora.
Virgo potens,	ora.
Virgo clemens,	ora.
Virgo fidélis,	ora.
Spéculum justítiae,	ora.
Sedes sapiéntiae,	ora.
Causa nostræ lœtítiae,	ora.
Vas spirituále,	ora.
Vas honorábile,	ora.
Vas insígne devotiónis,	ora.
Rosa mystica,	ora.
Turris Davídica.	ora.
Turris ebúrnea,	ora.
Domus aúrea,	ora.
Fœderis arca,	ora.
Jánua cœli.	ora.
Stella matutína,	ora.
Salus infirmórum,	ora.
Refugium peccatórum,	ora.
Consolátrix afflictórum,	ora.
Auxílium christianórum,	ora.
Regína Angelórum,	ora.
Regína Patriarchárum,	ora.
Regína Prophetárum,	ora.
Regína Apostolórum.	ora.
Regína Mártyrum,	ora.
Regína Confessórum,	ora.

Regína Vírginum, ora.  
 Regína Sanctórum ómnium, ora.  
 Regína sine labe origináli concépta, ora.  
 Regína sacratissimi Rosárii, ora.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Domine.  
 Agnns Dei, qui tollis peccata mundi, exaúdi nos Domine.  
 Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.

V. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

R. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

### ORÉMUS.

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérrna pérfrui lætitia. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

### Præparatio ad Missam.

*Antiphona.* Ne reminiscáris\*), Dómine, delícta nostra, vel paréntum nostrórum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

### PSALMUS 83.

Quam dilécta tabernácula tua Dómine virtutum: concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

---

\*) Quae Antiphona in festis duplicibus tantum duplicatur. Temp. pasch. additur in fine *Alleluia*.

### XXXIII

Altaria tua, Dómine virtutum: Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui hábitant in domo tua, Dómine: in sæcula sæculorum laudábunt te.

Beatus vir, cuius est auxílium abs te: ascensiones in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco quem pósuit.

Etenim benedictiōnem dabit legislátor, ibunt de virtute in virtútem: vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exaudi oratiōnem meam: aúribus pér cipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus: et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis, super míllia.

Elégi abiéctus esse in domo Dei mei: magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocentia: Dómine virtútum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri.

### PSALMUS 84.

Benedixisti Dómine terram tuam: avertisti capti-vitátem Jacob.

Remisisti iniquitátem plebis tuæ, operuísti ómnia peccata eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: avertisti ab ira indignatiōnis tuæ.

Convérite nos Deus salutáris noster: et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in æténum irascéris nobis? aut extén-des iram tuam a generatiōne in generatiōnem?

Deus tu convérsus vivificábis nos: et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus: quóniam loquéatur pacem in plebem suam!

Et super sanctos suos: et in eos qui convertún-  
tur ad cor.

Verumtamen prope timéntes eum salutáre ipsius:  
ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: justitia et pax osculátæ sunt.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: et terra no-  
stra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulábit: et ponet in via gres-  
sus suos.

Glória Patri.

### PSALMUS 85.

Inclína Dómine aurem tuam, et exaudi me: quó-  
niā inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: sal-  
vum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei Dómine, quóniam ad te clamávi  
tota die: lätifica ánimam servi tui, quóniam ad te Dó-  
mine ánimam meam levavi.

Quóniam tu Dómine suávis, et mitis: et multæ  
misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércepe Dómine oratiórem meam: et in-  
ténde voci deprecationis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: quia  
exaudísti me.

Non est similis tui in diis Dómine: et non est  
secúndum ópera tua.

Omnès gentes, quascumque fecísti, vénient, et  
adorábunt coram te Dómine: et glorificábunt no-  
men tuum.

Quóniam magnus es tu et fáciens mirabília: tu es  
Deus solus.

Deduc me Dómine in via tua, et ingrédiar in veritáte tua: lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitebor tibi Dómine Deus meus in toto corde meo, et glorificábo nomen tuum in æternum:

Quia misericórdia tua magna est super me: et eruisti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me: et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: et non proposué-runt te in conspéctu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor et miséricors, pá-tiens, et multæ misericórdiæ et verax.

Réspice in me, et miseré mei, da impérium tuum púero tuo: et salvum fac filium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odé-runt me, et confundántur: quóniam tu Dómine adjuvi-sti me, et consolátus es me.

Glória Patri.

### PSALMUS 115.

Credidi, propter quod locútus sum: ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, pro ómnibus, quae retrí-buit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pôpulo eius: pretiosa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius;

O Dómine, quia ego servus tuus: ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam lau-dis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspectu omnis pôpuli ejus: in átriis domus Dómini, in médio tui Je-rúsalem.

Glória Patri.

## PSALMUS 129.

De profundis clamávi ad te Dómine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitátes observáveris Dómine: Domine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te Dómine.

Sustinuit ánima mea in verbo ejus: speravit ánima mea in Dómino.

